

## Generis dramatici initia

(lege apud Vratović pp. 220--225)

### 1. Comoedia

#### 1.1. Comoedia Graeca (*fabula palliata*)

##### Cnaeus Naevius

*Sicuti de Naevio quoque accepimus fabulas eum in carcere duas scripsisse, Hariolum et Leontem, cum ob assiduam maledicentiam et probra in principes civitatis de Graecorum poetarum more dicta in vincula Romae a triumviris coniectus esset. Vnde post a tribunis plebis exemptus est, cum in his, quas supra dixi, fabulis delicta sua et petulantias dictorum, quibus multos ante laeserat, diluisset.* (Gell. 3,3,15)

##### ARIOLVS

*A: Quis heri apud te?– B: Praenestini et Lanuini hospites.–*

*A: Suopte utrosque decuit acceptos cibo,  
Altris inanem uoluulam madidam dari,  
Altris nuces in procliui profundier.*

##### TARENTILLA

*Quae ego in theatro hic meis probavi plausibus,  
Ea non audere quemquam regem rumpere:  
Quanto libertatem hanc hic superat seruitus!*

*Quase in choro ludens datatim dat se et communem facit.  
Alii adnutat, alii adnietat, alium amat, alium tenet.  
Alibi manus est occupata, alii percellit pedem,  
Anulum dat alii spectandum, a labris alium inuocat,  
Cum alio cantat, at tamen alii suo dat digito litteras.*

*. . . ubi isti duo adulescentes habent,  
Qui hic ante parta patria peregre prodigunt?*

*Numquam quisquam amico amanti amica nimis fiet fidelis,  
Nec nimis morigera et deuota quisquam erit . . . .*

*Primum ad uirtutem ut redeatis, abeatis ab ignauia,  
Domi patres patriam ut colatis potius quam peregri probra.*

##### Comoedia incerta

*Libera lingua loquemur ludis Liberalibus.*

**Titus Maccius Plautus**  
**AVLVLARIA**

*Lar familiaris:* Ne quis miretur qui sim, paucis eloquar.  
ego Lar sum familiaris ex hac familia  
unde exeuntem me aspexistis. hanc domum  
iam multos annos est cum possideo et colo  
patri avoque iam huius qui nunc hic habet.  
sed mi avos huius obsecrans concredidit  
thensaurum auri clam omnis: in medio foco  
defodit, venerans me ut id servarem sibi.  
is quoniam moritur ita avido ingenio fuit,  
numquam indicare id filio voluit suo,  
inopemque optavit potius eum relinquere,  
quam eum thensaurum commonstraret filio;  
agri reliquit ei non magnum modum,  
quo cum labore magno et misere viveret.  
ubi is obiit mortem qui mihi id aurum credidit,  
coepi observare, ecqui maiorem filius  
mihi honorem haberet quam eius habuisset pater.  
atque ille vero minus minusque impendio  
curare minusque me impertire honoribus.  
item a me contra factum est, nam item obiit diem.  
is ex se hunc reliquit qui hic nunc habitat filium  
pariter moratum ut pater avosque huius fuit.  
huic filia una est. ea mihi cottidie  
aut ture aut vino aut aliqui semper supplicat,  
dat mihi coronas. eius honoris gratia  
feci, thensaurum ut hic reperiret Euclio,  
quo illam facilius nuptum, si vellet, daret.

**AMPHITRUO**

*Amph.* Amphitruo uxorem salutat laetus speratam suam,  
quam omnium Thebis vir unam esse optimam diiudicat,  
quamque adeo cives Thebani vero rumiferant probam.  
valuistin usque? expectatum advenio? *Sos.* Haud vidi magis.  
expectatum eum salutat magis haud quicquam quam canem.  
*Amph.* Et quom te gravidam et quom te pulchre plenam aspicio, gaudeo.  
*Ale.* Obsecro ecastor, quid tu me deridiculi gratia  
sic salutas atque appellas, quasi dudum non videris  
quasique nunc primum recipias te domum huc ex hostibus?

[atque me nunc proinde appellas quasi multo post videris?]

*Amph.* Immo equidem te nisi nunc hodie nusquam vidi gentium.

*Alc.* Cur negas? *Am.* Quia vera didici dicere. *Al.* Haud aequom facit qui quod didicit id dediscit. an periclitamini

quid animi habeam? sed quid huc vos revortimini tam cito?

an te auspiciū commoratum est an tempestas continet

qui non abiisti ad legiones, ita uti dudum dixeras?

*Am.* Dudum? quam dudum istuc factum est? *Al.* Temptas. iam dudum, modo.

*Amph.* Qui istuc potis est fieri, quaeso, ut dicis: iam dudum, modo?

*Alc.* Quid enim censes? te ut deludam contra lusorem meum, qui nunc primum te advenisse dicas, modo qui hinc abieris.

*Amph.* Haec quidem deliramenta loquitur. *Sos.* Paulisper mane ...

<.....>

*Alc.* Equidem ecastor sana et salva sum. *Amph.* Quor igitur praedicas, te heri me vidisse, qui hac noctu in portum advecti sumus?

ibi cenavi atque ibi quievi in navi noctem perpetem,

neque meum pedem huc intuli etiam in aedis, ut cum exercitu

hinc profectus sum ad Teloboas hostis eosque ut vicimus.

*Alc.* Immo mecum cenavisti et mecum cubuisti. *Amph.* Quid est?

*Alc.* Vera dico. *Amph.* Non de hac quidem hercle re; de aliis nescio.

*Alc.* Primulo diluculo abiisti ad legiones. *Amph.* Quo modo?

*Sos.* Recte dicit, ut commeminit: somnium narrat tibi.

sed, mulier, postquam experrecta es, te prodigiali Iovi aut mola salsa hodie aut ture comprecata oportuit.

*Alc.* Vae capiti tuo. *Sos.* Tua istuc refert—si curaveris.

*Alc.* Iterum iam hic in me inclementer dicit, atque id sine malo.

*Amph.* Tace tu. tu dic: egone abs te abii hinc hodie cum diluculo?

*Alc.* Quis igitur nisi vos narravit mi, illi ut fuerit proelium?

*Am.* An etiam id tu scis? *Al.* Quippe qui ex te audivi, ut urbem maximam expugnavisses regemque Pterelam tute occideris.

*Amph.* Egone istuc dixi? *Alc.* Tute istic, etiam adstante hoc Sosia.

*Amph.* Audivistin tu me narrare haec hodie? *Sos.* Vbi ego audiverim?

*Am.* Hanc roga. *S.* Me quidem praesente numquam factum est, quod sciam.

*Alc.* Mirum quin te adversus dicat. *Amph.* Sosia, age me huc aspice.

**Caecilius Statius**

**PLOCIVM**

Is demum miser est, qui aerumnam suam nesciat occultare  
Foris: ita me uxor forma et factis facit, si taceam, tamen indicium,  
Quae nisi dotem omnia quae nolis habet: qui sapiet de me discet,  
Qui quasi ad hostis captus liber seruo salua urbe atque arce.  
Dum eius mortem inhio, egomet inter uiuos uiuo mortuus.  
Quaen mihi quidquid placet eo priuatum it me seruatum <uelim>?  
Ea me clam se cum mea ancilla ait consuetum. id me arguit:  
Ita plorando orando instando atque obiurgando me optudit,  
Eam uti uenderem. nunc credo inter suas  
Aequalis, cognatas sermonem serit:  
'Quis uostrarum fuit integra aetatula  
Quae hoc idem a uiro  
Impetrarit suo, quod ego anus modo  
Effeci, paelice ut meum priuarem uirum?'  
Haec erunt concilia hocedie: differar sermone misere.

Edepol, senectus, si nil quicquam aliud uiti  
Adportes tecum, cum aduenis, unum id sat est,  
Quod diu uiuendo multa quae non uolt uidet.

*Iz nepoznatih komedija:*

Homo homini deus est, si suum officium sciat.  
Saepe est etiam sup palliolo sordido sapientia.

**Publius Terentius Afer**

**ADELPHOE**

*Micio* Storax!—non rediit hac nocte a cena Aeschinus  
neque servolorum quisquam qui advorsum ierant.  
profecto hoc vere dicunt: si absis uspiam  
aut ibi si cesses, evenire ea satius est  
quae in te uxor dicit et quae in animo cogitat  
irata quam illa quae parentes propitii.  
uxor, si cesses, aut te amare cogitat  
aut tete amari aut potare atque animo obsequi  
et tibi bene esse soli, quom sibi sit male.  
ego quia non rediit filius quae cogito et  
quibu' nunc sollicitor rebu'! ne aut ille alserit  
aut uspiam ceciderit aut praefregerit  
aliquid. vah quemquamne hominem in animo instituere aut

parare quod sit carius quam ipsest sibi!  
atque ex me hic natu' non est sed ex fratre. is adeo  
dissimili studiosi iam inde ab adolescentia:  
ego hanc elementem vitam urbanam atque otium  
secutu' sum et, quod fortunatum isti putant,  
uxorem, numquam habui. ille contra haec omnia:  
ruri agere vitam; semper parce ac duriter  
se habere; uxorem duxit; nati filii  
duo; inde ego hunc maiorem adoptavi mihi;  
eduxi a parvulo; habui amavi pro meo;  
in eo me oblecto, solum id est carum mihi.  
ille ut item contra me habeat facio sedulo:  
do praetermitto, non necesse habeo omnia  
pro meo iure agere; postremo, alii clanculum  
patres quae faciunt, quae fert adolescentia,  
ea ne me celet consuefecit filium.